



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 14. Concilii Ariminensis exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

stitutus Episcopus Carthaginensis dixit: Sæculum IV.
A. C. 359.
 Novistis, Sancti Confratres mei! quod, cum Arimini tractarem, instigante Diabolo, disputatio Dei Pontificum animos divideret, unde factum, ut ego Restitutus, & pars Episcoporum, me sequentium, sententiam contra Ursacium, Valentem, Germinium, & Gajum tanquam perversæ Doctrinæ auctores pronuntiaverimus, id est, a nostra Communione excluderimus, at omnibus accuratius examinatis, nihil invenimus, quod cuiquam probari non debeat, nempe fidem eorum esse Catholicam, secundum eorum formulam, cui omnes subscripsimus, eosque nunquam fuisse hæreticos. Itaque cum concordia, & pax maximum bonum sit coram oculis Dei, optimum factu judicavimus, si ea, quæ Arimini acta sunt, communi consensu irritarem, eos sincere in nostram Communionem reciperemus, sicque eis honorem, & famam restitueremus. Cum jam præsentibus simus, superest, ut quilibet dicat, num ea, quæ protuli, vera sint, & sua manu subscribat. Omnes Episcopi dixerunt: volumus; & subscripserunt.

§. XIV.

Concilii Ariminensis exitus.

Tunc vero Delegatis libertas facta Arimini revertendi; simul scripsit. 2. p. 427.

Hist. Eccles. Tom. III.

D d d

Im-

Sæculum IV. Imperator ad Taurum Præfectum, ne Patres Concilii discedere permetteret, antequam omnes formulæ Nicæ in Thracia acceptatæ subscripsissent, pertinacissimos exilio mulctaret, si plures quam quindecim non essent. Scriptit quoque ad Episcopos, voces substantia, & consubstantialis supprimi jubens. Itaque Ursacius, & Valens victores Ariminum rediere, & prævalentes eorum Sectatores, pulsatis Catholicis Ecclesiam occuparunt; qui semper eorum partibus in Concilio ad dicti fuerant, ad Episcopos Orientis scripserunt, se cum illis in fide sentire, & semper sensisse. Ut deinde ad epistolam Imperatoris responderent, aliam concinnate servili assentatione fœdissimam; dicunt; se ejus imperio obedivisse, in Orientalium fidem consensisse, & voces *ousia*, & *homoousios* rescidisse, voces, inquit: *Ecclesiæ hætenus incognitas, Fidelium scandalum, voces Deo indignas, quæ in SS. Scripturis inveniri possint*; hinc supplices Imperatorem rogant, Tauro Præfecto mandare velit, ut se ad suas Ecclesias remittat, nec se diutius cum illis, qui Doctrina perversa infecti essent, commorari cogeret. Ex his cognoscitur, hanc epistolam unius tantum Episcoporum partis fuisse opus, inde scripta dicitur nomine Concilii Ariminensis cum Orientalibus consentientis, ut hæc Concilii pars

ap. Hilar. frag. p. 453.

ap. Hilar. ibid.

ab
tur
g
era
era
eo
qu
rat
qu
to
gn
ta
cu
ve
ga
bi
vi
ne
ex
m
ru
ge
gi
cu
T
to
r
b
t
c
P
ab

ab altera, non consentiente, distinguere-
 tur, & præfert nomina Mygdonii, Me-
 gasii, Valentis, & Epicteti, qui omnes
 erant inter Arianos notissimi.

Sæculum IV.
 A. C. 359.

Primo quidem Episcopi Catholici, qui
 erant Arimini, cum Delegatis suis post-

Sulp. Sev. 2.
 p. 427.

eorum reditum communicare recusabant,
 quamvis illi factum ob vim, sibi ab Impe-
 ratore illatam, excusarent, ubi autem,
 quid de se mandasset, resciverunt, mul-
 to magis perturbati, quid statuerent, i-
 gnorabant. Plerique sensim seu infirmi-
 tate, seu ob toedium tam diuturnæ pro-
 cul a Patria commorationis lassati, ad-
 versariis victas manus dedere, qui a le-
 gatorum reditu superiores erant, mox u-
 bi se metus plurimorum animis insinua-
 vit, turmatim ad Arianos transiere, do-
 nec Catholici numerum vigesimum non
 excederent, quo pauciores, eo reliqua
 multitudine fortiores. Hunc, si nume-
 rum spectes, non animum, pusillum gre-
 gem ducebant Phebadius Episcopus A-
 ginnensis, & Servasius Tungriensis, quos
 cum videret minis moveri non posse
 Taurus Præfectus, precibus flectere ni-
 tebatur, & lacrymis perfusus, ut sanio-
 ra eligerent, obsecrabat, *Ecce!* inque-
 bat: *septimus jam mensis labitur, ex quo
 tot Episcopi unius urbis angustiis in-
 cluduntur, summa hieme, & paupertate
 pressi; vestra contumacia omnis spes re-*

D d d 2 *visendi*

Sæculum IV. *visendi Patriam tollitur; quæso! quanto facietis malorum finem? aliorum exempla sequimini, & majoris numeri auctoritatem!* Ad hæc Phebadius, se quidem ad exilium, & supplicia omnia perferenda paratum, edixit, nunquam autem fidei formulæ, quam Ariani condidissent, subscripturum.

Diebus pluribus tenuit contentio, & nulla pace sequente, Phebadius paulatim in proposito refrigescens, tandem fallacibus hæreticorum verbis cessit; nam Ursacius, & Valens fidei Professionem ab Orientalibus in medium allatam, interveniente Imperatoris auctoritate, nihil aliud, quam Doctrinam Catholicam continentem, sine tetro crimine rejici non posse affirmabant; & interrogabant, quoniam ergo modo Divisiones componi aliquando possent, si quæ Orientales probassent, ab Occidentalibus damnarentur. At, istud affirmantes, putidissime mentiebantur, nam maxima Orientalium Episcoporum pars hanc formulam pure Arianam certe rejecissent, eo quod in ea vox substantia expuncta esset, econtra hanc vocem conservatam volebant, ut superius in Concilio Ancyrano vidimus, in hoc solum differentes ab Occidentalibus, quod Filium in substantia similem dicerent, Occidentales vero, & vere Catho-

Sup. §. 5. lici, esse Filium substantiæ ejusdem.

Hac

Hac fraude feruntur plerique Catholici ab Arianis in Concilio Ariminensi ad lapsum inducti, quod persuaserint, rescissa voce, substantia, cor unum, & sensum unum orientalis, occidentalisque Ecclesiae futurum. Dicuntur etiam Ariani a Catholicis quæsisisse, an Jesum Christum adorarent, an tantum consubstantialitatem, atque hac quæstione illius vocis ordium eisdem creasse. Majora Ursacius & Valens promittebant, ad Phebadium, & Servasium dicentes; si hæc fidei formula ipsis non satis ampla videretur, adderent, quæ vellent, se sane sua ex parte consensuros; æqua, & neutiquam rejicienda dicere omnibus visi sunt, atque Catholici, quibus nihil magis cordi erat, quam litigandi finis, resistere noluerunt. Nihil Viris sanctis, & Dei servis dignum magis erat in speciem, quam Ecclesiarum unionem procurare. Fidei formula, quam probandam proponebant, eratque Sirmiensis, & Nicea in Thracia, nihil aperte hæreticum legentibus objiciebat, non dicebatur Filius Dei esse Creatura, aut ex nihilo productus; non dicebatur, tempus fuisse, quo non extitisset; contra natus dicebatur ex Patre ante omnia Sæcula, Deus de Deo. Causa rejiciendi vocem *Ousia* seu substantia, erat probabilis, ex eo, quod in Scripturis non legeretur, & sua novitate simplicibus oc-

Sæculum IV. A. C. 359.

Socr. IV. c. 19.

Conc. Paris. ap. Hilar. frag. Ruf. I. hist. c. 21.

Sulp. Sever.

Concilium Ariminense.

Hier. in Lucif. c. 7.

D d d 3 casio

Sæculum IV. casio scandali esset; nec Episcopis cura
A. C. 359. fuit de uno vocabulo, cum sensum Ca-
 tholicum saluum esse crederent.

Præterea, cum in vulgus emanasset, sub hac fidei expositione fraudem latere, Valens Mursensis, ejusdem formulæ Auctor, coram Præfecto Tauro professus est, se nequaquam esse Arianum, sed ab eorum blasphemis alienissimum, cumque hæc declaratio privata populo suspicionem necdum exemisset, postera die in Ecclesia Ariminensi congregatis Episcopis, & magna Laicorum multitudine, Mulsinius Provinciæ Byzacenæ in Africa Episcopus, cui omnes utpote ætate majori loco cedebant, in hunc modum elocutus est: *Volumus, ut aliquis nostrum Vestræ Sanctitati prælegat, quæ, in vulgus sparsa, ad nostras quoque aures pervenere, ut uno ore damnemus, quæ mala sunt, & tam ab auribus nostris, quam a corde rejicienda; Omnes Episcopi responderunt: Volumus.* Tunc Claudius Episcopus illius Provinciæ in Italia, quæ Picenum dicitur, omnibus id volentibus, illas blasphemias prælegere cœpit, quæ vulgo Valentis esse dicebantur; at hæc sua sensa esse Valens negabat, exclamans: *Si quis dicat, Jesum Christum non esse Deum, Filium Dei, ex Patre genitum ante Sæcula, anathema sit! Si quis dicat, Filium Dei non esse similem Patri* secun-

secundum Scripturas, anathema sit. Si quis neget Filium Dei esse cum Patre aeternum, anathema sit. Omnes singulis vicibus responderunt: Anathema sit! Sæculum IV. A.C. 359.
Sulp. Sev. 2. p. 430.
 adjecit Valens, tanquam Doctrinam Catholicam confirmaturus: *Si quis dicat, Filium Dei esse Creaturam, sicut ceteræ creaturæ sunt, anathema sit!* Omnes responderunt: *Anathema sit!* Non attendentes, venenum sub his verbis occultari; nam Catholici hæc verba ita accipiebant, quod Filius Dei nullo modo esset creatura, at Valens ita; quod esset Creatura, sed tantum aliis perfectior. Sero horum verborum ambiguitatem agnoverunt, quibus sibi illudi imprudenter passi erant. Subjunxit Valens: *Si quis dicat, Filium Dei non ex Deo Patre, sed ex nihilo productum esse, anathema sit!* exclamarunt omnes *anathema sit!* Tandem dixit: *Si quis dicat: Tempus fuit, quo Filius non existebat; anathema sit!* omnes responderunt: *Anathema sit!* Hæc Valentis verba summo gaudio, omniumque Episcoporum, & totius Ecclesiæ applausu excepta sunt, cum ea ipsa, quæ anathematizabat, arcani, & proprii Arianæ hæresis errores esse viderentur. Valentem laudibus suis ad sidera extollebant, & cum dolore male conceptam de eo suspicionem damnabant. Tunc Episcopus Claudius ait: *Est ad-*

Sæculum IV. A. C. 359. *buc unum, quod fratrem nostrum Valentem præterit, quod, si vobis videtur, unanimiter condemnabimus, ne qualiscunque scrupulus superesse possit; si quis dicat, Dei Filium esse ante omnia Sæcula, sed non absolute ante omnia tempora, ita ut ponat aliquid, quod ipsum præcesserit, anathema sit!* omnes responderunt: *Anathema sit;* Plures alias propositiones, quæ esse suspectæ poterant, sicut eas Claudius pronuntiabat, Valens damnavit. Hic fuit Concilii Ariminensis exitus, cuius tam prospera videbantur initia; Episcopi lætantes in Provincias suas reversi sunt, ignari, se fuisse deceptos. Antequam separarentur, Legationem ad Imperatorem miserunt, cuius præcipui erant Ursacius, Valens, Mygdonius, Megasius, Gajus, Justinus, Optatus, & Martialis; ex his ipsis Nominibus constat, quænam factio in fine infamati Concilii prævaluerit, cuius Acta supererant, a S. Hieronymo citata. Delegati Constantinopolim devecti, illos ibi invenerunt, quos Concilium Seleuciense delegaverat.

Ep. Orient. ap. Hilar. frag. p. 428. Hier. ad Lucif. c. 7.

§. XV.

Concilium Seleuciense.

Socr. II. c. 39. Ath. de Syn. p. 580. Soz. IV. c. 22. **E**odem tempore, quo Episcopi Occidentis Arimini congregati erant, Orientales convenerant Seleuciam, Metropolitim